

Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae 1621., quinto Kalendas Decembris Pontificatus nostri Anno I.

Ego Gregorius Ecclesiae Catholicae Episcopus.

Perfice gressus meos in semitis tuis.

Ego Antonius Card. Saulius Diaconus.

Ego Franciscus Maria Card. a Monte.

F. Sfortia Cardinalis Episcopus Tusculanus.

Ego Octavius Episcopus Praenestini. Card. Bandinus.

Ego Andreas tituli S. Agnetis in Agone Card. Perettus.

Ego Dominicus SS. Apostolorum Card. Gymnasius.

Ego Carolus tituli S. Casarei Presb. Card. Madrusius.

Ego Scipio tit. S. Cbrisogoni Presb. Card. Burgbesius.

Ego Garzia tit. SS. Quatuor Coronatorum Presb. Card. Millinus.

Ego M. tit. SS. Quirici, & Julitae Presb. Card. Lantes.

Ego F. tit. S. Augustini Presb. Card. Verallus.

Ego Jo. Baptista tit. S. Caeciliae Presbyter Card. Senes.

Ego Dominicus tit. S. Martini in Montibus Presb. Card. Rivarola.

Ego Paulus tit. SS. Nerei, & Achillei Presb. Card. Crescentius.

Ego Gaspar tit. S. Crucis in Hierusalem Presb. Card. Borgia.

Ego F. Felix tit. S. Anastasia Presb. Card. Asulanus.

Ego Tyberius tit. S. Priscae Presb. Card. Murus.

Ego Gabriel tit. S. Bartholomaei in Insula Presb. Card. de Trejo.

Ego Julius tit. S. Sabinae Presb. Card. Sabellius.

Ego S. Presb. Card. S. Susanna S.R.E. Bibliothecarius.

Ego Guido tit. S. Mariae de Populo Presb. Card. Bentivolus.

Ego P. tit. S. Salvatoris in Lauro Presb. Card. Valerius.

Ego Jo. Frid. tit. S. Clementis Presb. Card. de Cremona.

Ego Ant. tit. S. Pudenciana Presb. Card. Cajetanus.

Ego Alexander S. Mariae in Via lata Diac. Card. Esten.

Ego F. S. Angeli in Foro Piscium Card. Boncompagnus.

Ego Hieronymus S. Mariae Nova Diac. Card. Aldobrandinus.

X L I V.

Facultas Episcopo Ebroicensi erigendi Congregationem Hospitalarem utriusque sexus in Oppido Locovariensi ejusdem Ebroicen. Dioecesis sub Regula Ordinis Minorum S. Francisci, nonnullis additis concessionibus, & Privilegiis.

Ven. fratri Episcopo Ebroicen.

GREGORIUS PAPA XV.

Ven. frater salutem, & Apostolicam benedictionem.

Superna dispositione, a cujus inscrutabili providentia ordinationem suscipiunt universa, sacrosanctae militantis Ecclesiae regimini nullo licet merito nostro praesidentes, pia Christianissimorum quorumlibet vota, praesertim ad divini numinis laudem, & gloriam, Catholicae Religionis propagationem, & pauperum Peregrinorum, & personarum pestiferis, & aliis gravibus infirmitatibus laborantium curam, & consolationem tendentia, ad exauditionis gratiam libenter admittimus, ac favoribus, & gratiis prosequimur opportunis, ac aliis in his

Ex Regest. in Secret. brev.

Exordium.

pastoralis officii nostri partes favorabiliter interponimus, prout personarum, rerum, & temporum qualitatibus debite pensatis conspiciamus in Domino salubriter expedire.

Nonnulli pia utriusque sexus personae Ordinem Hospitalarium pro Christiana caritatis operibus exercendis erigere fategerunt.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Petrus Davld, & Andreas du Sauffay, ac Renatus Boroutefauge, & Philippus Bilainc, Maturinus le Picart, Joannes le Feullon, & Marinus le Leurier Ebroicen, seu alterius Dioecesis, nec non dilectae in Christo filiae Catharina le Bis, ac Francisca de la Croix, & Claudia le Caron, Joanna le Bis, Maria le Caron, Joanna de Santay, Caroletta le Pigeon, & Maria Bouvier Mulieres illarum partium, quod ipsi cupientes, & alias non sine animi dolore, perpendentes, multos Christianissimos, qui ex devotione, aut votis emissis ad id adscripti, Ecclesiarum, in quibus Sanctorum, & Sanctarum intercessionibus divina Majestas miracula operari, & gratias suas pie invocantibus impartiri dignatur, visitandarum gratia etiam a longinquis partibus peregrinantur, facultatibus destitutos propter modicas hae calamitosis, & in exercenda charitate tepidis temporibus elemosynas erogari solitas, ac Hospitalium sufficientibus redditibus fultorum penuriam, ventis, & pluvii, frigori, aliisque Coeli injuriis, etiam fami expositos, & quod magis dolendum est, sine praevia Sacramentorum perceptione misere interdum emori, hisque salubre, & salutare aliquod remedium afferre cogitantes, se se in Oppido Locovariensi, vulgo de Louviois dictae tuae Ebroicen. Dioecesis, de tua licentia nonnullis aliis utriusque sexus personis in eorum Societatem adductis eo adunaverunt, ac ad publicam hospitalitatem erga pauperes Peregrinos, nec non opera misericordiae corporalia, & spiritualia erga peste affectos, & laborantes in opportunis locis expresse sepositos exercendum se se, & facultates suas Deo dicaverunt, magnamque pecuniarum summam in emptionem domorum, & aliorum bonorum, stabulum pro dote duorum Monasteriorum, unius videlicet virorum, & alterius Mulierum, totidemque Hospitalium pro Viris, & Mulieribus ad professionem admittendis, & egenis, ac infirmis Hospitio excipiendis respective converterunt, & erogaverunt, ac in Congregatione, ut infra, erigenda cum animi quiete Deo inservire cupiunt, & ad hunc effectum Nobis praesentem vivendi formulam, uti ad propositum sibi finem, conducentem praesentari fecerunt, vident.

Nonnullas sicut Regulas sibi constituerunt.

§. 2. Ut quicumque fideles hujusmodi Congregationem ingredi, & in illo Altissimo famulari cupient, quo purius, & expeditius observare possint etiam consilia Sancti Jesu Christi Dei, & Domini nostri Evangelii praeter castitatis, obedientiae, & vitae sine proprio degenda vota per eos emittenda, etiam peculiare votum emittant ad hospitalitatem erga pauperes Peregrinos exercendam, curamque suscipiendam epidemia, seu peste laborantium,

ac necessaria illis tam corporalia, quam spiritualia, etiam Sacramentorum administrationem procurandam, seu respective suppeditandam, idque in locis opportunis, & ad id deputatis, citra tamen ab Jurisdictione Ordinariorum locorum exemptionem, quinimo Tibi, ac Ordinario loci, in cujus Dioecesi eos pro tempore degere contigerit, ac pro tempore existenti Ministro generali Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, aliisque suis superioribus e dicto Ordine electis, & eligendis se in perpetuum submittent: & quoad Clericos, ipsi nocturnis, & diurnis horis in Choro convenientes Officium divinum secundum ritum S. R. E., & Concilii Tridentini unanimiter persolvent, ita tamen, ut illi ex dictis Clericis, qui hospitalitatis, vel aliorum misericordiae operum gratia, aliisve justis de causis a choro aberunt, pro temporis, & loci opportunitate devote, & attente privatim dictum Officium, laici vero non cantantes, vel absentes a Choro, pro Nocturno quater, & vigesies Pater Noster, sive Orationem Dominicam cum salutatione Angelica, & pro Laudibus quinquies, ac pro qualibet horarum, Prima scilicet, Tertia, Sexta, Nona, Septies, nec non pro Vesperis duodecies, & pro Completorio septies dictam Orationem Dominicam, & salutationem Angelicam recitare teneantur: Matutinis autem, & Completorii horis recitatis in Choro, Orationi mentali per dimidiam horam, aut alias, prout eorum superiori benevisum fuerit, vacabunt, & quotidie hora serotina examen conscientiae exacte, & fideliter faciant. Et quia jejunium mentem ad Deum elevat, quarta feria cujuslibet hebdomadae, nisi debilitas manifesta, aut infirmitas, vel periculum pestis contrarium suaserit, ab esu carnis abstinebunt, & qualibet sexta feria totius anni jejunabunt, nisi festo Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, aliove legitimo impedimento adveniente, itemque a die festo Sancti Martini, usque ad Nativitatem ejusdem Domini, & a Dominica Quinquagesimae, usque ad festivitatem Paschatis Resurrectionis Dominicae, singulis tamen diebus Dominicis exceptis, ac cessante infirmitate, & pestis evidenti periculo, jejunium observabunt, prout etiam a Nativitate ejusdem Domini, usque ad dictam Dominicam Quinquagesimae singulis quarta, & sexta feriis, observantes inter ea omnia alia jejunia ab Ecclesia, & Ordinariis locorum in dicta. Item ne Orationi, & jejunio frequentatio desit Sacramentorum, singulis saltem mensibus peccata sua confitebuntur tam Religiosi, quam Moniales Congregationis hujusmodi, ac propterea solemnioribus totius anni, & ejusdem Congregationis Patronorum festivitatis, etiam sacra Communionem rescipientur. Praeterea una quaque Domus Hospitalis Praeposito suo pro tempore existenti sberit, qui legitime ab eisdem Religiosis ex eadem Congregatione eligitur, & a pro tempore existente Ordinario loci approbabitur. Universi vero Religio-

Igitur Hospitalarii, & Hospitalariae hujus Congregationis supradicto Ministro generali submittentur, cui, & suis aliis superioribus ex suo Ordine praedicto electis, & eligendis eidem Ministro generali subalternatis firmiter obedire tenebuntur; ita tamen, ut praedictus Minister generalis per se, vel per aliquem Fratrum Reformatorem de Observantia, sive Recollectorum, non autem Tertiariorum, seu Tertii Ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupat. a se deputatum de triennio in triennium ad minus semel, quoad votorum implementum, & exactam vitam regularis observantiam; Ordinarium vero loci ratione hospitalitatis, & curae laborantium peste quoties liberit, dictos Hospitalarios, & Hospitalarias modo, & forma dicti Concilii Tridentini servatis, visitare possint, & debeant. Insuper Religiosi Hospitalarii in Superiores ministros ab ipsa Congregatione electi alios sibi subditos visitantes humiliter, ac in charitate, & cum moderatione corrigent, nihil contra conscientiam suam, & Regulam, quam professi fuerint, praecipientes: Subditi autem patienter in omnibus, quae Domino promiserunt, suis superioribus, etiam quoad curam erga peste laborantes, & hospitalitatem obediunt. Quantum vero ad Moniales hujus Congregationis, regulam sibi praescriptam, & clausuram juxta Concilii Tridentini Decreta exacte observant, & ab Ordinario loci, ac suis superioribus pro tempore existentibus de iis, quae ad legitimam electionem spectant, & pertinent, fideliter edoceri procurabunt, ut sic edoctae, matrem sibi ex earum gremio, & Societate praesentiam canonice, & juxta dicti Concilii Decreta eligere possint. Porro ne quis ad Religionem hujusmodi leviter, & inconsiderate admittatur, neminem ad illius Institutum prius recipient, quam pro tempore existentes superiores ingressum ad illam postulantis fidem, religionem, officium, statum, & conditionem exploraverint, eique Congregationis, & Regulae onera proposuerint, monuerintque alienorum bonorum restitutionem faciendam, qua satisfactio, vel satisfaciendi cautio praestita, & quatenus opus sit, reconciliatione cum proximo facta per quindecim plus, minusve dies instando pro qualitate personae ter, quaterve, si ita liberit, de consilio tamen Religiosorum magis idoneorum ad id deputatorum, priusquam recipiatur, recedent in Monialibus tamen forma Concilii Tridentini servetur quoad voluntatis explorationem, antequam proficantur, & post annum professurus tam Religiosus, quam Monialis si idoneus, vel idonea videbitur, facto prius Testamento, & bonorum suorum dispositione ad praescriptum Sacri Concilii Tridentini, prout illis Spiritus Sanctus suggererit, praedicta hujus Religionis vota emittent. Quae quidem professio in scriptis redacta, & manu publica signata non aliter, nec alio modo recipietur, nisi conditione, & instantia personae attentae consideratione discussis. Hujus autem Congregationis pro-

habitu duas Tunicas ex panno, vel ex alia materia contra epidemiam, seu pestem aptiore superiorum hujus Congregationis arbitrio pro temporis, & locorum varietate, terrestris, sive cinericii, aut grisei coloris, ut vocant, tam Novitii, quam professi vestient: quarum Tunicarum altera desuper major erit, & in superiori parte infimul astutum habebit Capuccium cum corda ex crine equino desuper lumbos cingente, & ejusdem materiae coloris castanei vulgo tanei mantelletum humeris, calceatis pedibus ferent: Novitiorum habitui distinctione Superiorum arbitrio adhibita.

§. 3 Et insuper Insignia sibi peculiariter haec desument, quae ad sinistram gestabunt, ut a caeteris quibuscumque internoscantur: videlicet in superiori Tunica coloris cinericii, sive grisei hujusmodi crucem oblongam castanei coloris, quem tancum vocant, effigiet, quamquidem in traverfali spinea corona viridis amplectetur, tribus apicibus cacuminis nimirum, & brachii utriusque singula lilia Gallici stemmatis flava, in ima vero stirpe, tres Clavos ceruleos in acuminibus deorsum coalitos, & ab utraque parte Crucis juxta arrectarium priores nominis S. Ludovici literas hieroglyphicas appingent: Moniales vero similiter duas Tunicas decenter longas, & talaris vestient cum alia Tunica, & corda crinea desuper, necnon mantellum ex materia, & colore praedictis, velumque album tempore Novitiatu, & post emissam professionem nigrum desuper gerent. Denique Hospitalarii hujusmodi habitum semel susceptum post emissam professionem, nisi auctoritate Instituti, aut Religionis professionem, servata tamen quoad hoc sacrorum Canonum, & sacri Concilii Tridentini forma, dimittere non poterunt: nullique Religiosorum eorumdem fas erit, sine sui superioris licentia de loco regulari, sive Hospitali, in quo eos pro tempore transmitti, seu commorari contigerit, discedere, aut discedentem recipere absque Literarum Societatis cautione: & haec omnia, & singula praeter tria vota caeteris Ordinibus essentialia, & quartum supra scriptum, in hujusmodi Regula contenta erunt consilia ad facilius salvandas animas viatorum, & nulla obligatoria ad peccatum mortale, vel veniale, nisi humano, vel divino jure aliquis alias fuerit obligatus.

§. 4 Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, Instituti hujusmodi ratio nihil, quod pium non sit, & salutare amplectatur, sitque quippe, quod ad omnium fidelium perutile, & necessarium dignoscatur, omnibus illius notitiam habentibus, ita gratum, & acceptum, ut diversi utriusque sexus Christiani summo affectu in illud profitentium Congregationem recipi, & admitti exoptent: ob idque cupiant exponentes praedicti, ex Domibus, & aliis bonis stabilibus in Oppido Locovariensi ad effectum praemissorum, ut praefertur, donatis, seu acquisitis, duo Monasteria sub Instituto praedicto militantia, unum videlicet hominum, & alterum mulierum, ut praefertur, toti-

Insignia in vestibus gestanda.

Praedicta confirmari, facultatemque sibi nova Hospitalia erigendi concessi perunt.

totidemque Hospitalia erigi, sive illa erigendi sibi a Nobis, & Sede Apostolica licentiam concedi.

§. 5 Et quia tempore Pontificatus felicis record. Pauli Papae V. praedecessoris nostri, ei pro parte eorumdem exponentium exposito, quod ipsi etiam medio juramento se velle profiteri sub Regula Tertii Ordinis ejusdem Sancti Francisci de Poenitentia intendebant, & mulieres praedictae, ac aliquae earum Societae Superioribus dicti Tertii Ordinis habitum per Moniales dicti Tertii Ordinis gestari solitum susceperant: Subinde vero ortis controversiis inter superiores, & fratres dicti Tertii Ordinis ex una, & exponentes praedictos ex altera partibus, professionem dicti Tertii Ordinis, nec alterius cujuscumque Religionis non emiserant, super quo per dictum Paulum praedecessorem a voto, & juramento praedictis absolvi, & superioribus, ac fratribus Tertii Ordinis hujusmodi, etiam de consilio, & voto Congregationis Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium praepositorum, silentium perpetuum imponi obtinuerunt, impositionem perpetui silentii hujusmodi per Nos, & Sedem Apostolicam approbari, & confirmari. Quare Nobis humiliter supplicati fecerunt eidem Exponentes, ut eis in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 6 Nos, qui pia, & in subventionem proximi tendentia Instituta, ut suum debitum fortiantur effectum, quantum cum Domino possumus, adjuvamus, exponentes praedictos, eorumque sanctum propositum hujusmodi specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, nec non eos, & eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdictionis, aliusque ecclesiasticis sententiarum, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Fratritati tuae, de voto eorumdem Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium praepositorum, per praesentes committimus, & mandamus, quatenus praesentem formulam, seu Institutum vivendi, necnon habitus, & Insignia hujusmodi delationem, & gestationem auctoritate nostra perpetuo approbes, & confirmes, eiusque perpetuae, & inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicias, omnesque, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, in eisdem suppleas, nec non unam Congregationem Hospitaliariorum, & Hospitaliarum Sancti Ludovici Regis Franciae, & Sanctae Elisabethae olim Reginae Ungariae sub Regula S. Francisci per pro tempore existentes dictorum Fratrum Minorum de Observantia Ministrum generalem, & ejusdem Congregationis Praefules, ac alios illius Ministros eidem Ministro generali subditos, electos, & pro-

tempore eligendos, regendam, & gubernandam, ac uno, eodemque tempore in dicto Oppido Locovariensi dicta duo Monasteria una cum hospitali pro quolibet, ac Ecclesiis, campanilibus, campanis, claustris, dormitoriis, Refectoriis, coemeteriis, arcibus, hortis, hortaliis, cellis, aliisque officinis necessariis, & opportunis dummodo tamen ita constructa, & aedificata fuerint, ut via publica, vel Atrio saltem intermedio pro spatio, arbitrio tuo, & Ordinarium locorum pro tempore existentium statuendo, nec non muris altis, & inaccessibilibus ab invicem separantur, & distincta sint, & in muris hujusmodi nulla omnino adstant Januae, neque fenestrae, nec collocatoria, aut alia foramina, minusque ab uno ad alterum pateat aditus, vel prospectus in Monasteria, & Hospitalia dictae Congregationis, quorum unum ad virorum, & alterum ad Mulierum ad numerum certum juxta formam, & praescriptum Sacri Concilii Tridentini, & cum dote pro quolibet Moniali, & arbitrio tuo quoad quantitatem, formam in illis respective recipiendorum, & recipiendarum usum inservire debeat, sine alicujus praedicti, dicta nostra auctoritate etiam perpetuo erigas, & instituas, illisque, & eorum cuilibet ex nunc, prout postquam sic erecta, & instituta fuerint, pro eorum dote, ac illorum Religiosorum, & Monialium in ipsis Monasteriis per Te, pro hac prima vice, ac eorum superiores postea pro tempore introducendorum, & introducendarum sustentatione, onerumque illis incumbentium supportatione tam redditus, & proventus per dictos Exponentes, ut praefertur, donatos, & assignatos, dummodo tamen pro quolibet eorumdem Monasteriorum saltem quadringenta scuta monetae illarum partium annuatim proveniant, quae omnia, & singula alia, proprietates, bona, census, redditus, jura, obventiones, & emolumenta quaecumque dictis duobus Monasteriis, ut praefertur, erigendis per quoscumque Christianos, & dictae Congregationis Hospitalarios, seu Hospitalarias, aut alicujus eorum intuitu per viam codicillorum, donationis etiam inter vivos, & causa mortis, seu alterius cujuscumque dispositionis, ac etiam in elemosynam, vel alias pro tempore quomodocumque, & qualitercumque relinquenda, & eroganda ex tunc, prout postquam donati, & assignati, ac relicta fuerint, ita tamen quod liceat eorumdem Monasteriorum Praeposito, seu Ministro, Superiori, & Abbati, seu Priori, necnon eorumdem Conventibus pro tempore existentibus corporalem, realem, & actualem illorum omnium, ac jurium, & pertinentiarum suorum quoruncumque possessionem per se, vel alium, seu alios eorum, vel earum, ac Monasteriorum, ut praefertur, erigendorum nominibus propria auctoritate apprehendere, & apprehensam perpetuo retinere, fructus quoque, redditus, & proventus, jura, obventiones, & emolumenta ex his provenientia quaecumque, nec non oblationes, & elemosynas eidem Monasteriis, illorumque su-

Ac perpetuum Fratrum Tertii Ordinis S. Francisci silentium super nonnullis controversiis imponi.

Præfat. Gregorius.

Idque efficiendi Ebroicensi Episcopo concedere facultatem.

Cum aliis facultatibus hic expressis.

superioribus pro tempore elargitas, & elargien. percipere, exigere, levare, recipere, recuperare, arrendare, locare, regere, & administrare, ac in seorum, & earum, ne non ipsorum Monasteriorum, & Hospitalium hujusmodi communes usus, & necessitates, ac utilitatem convertere, cujusvis licentia desuper minime requisita, similiter perpetuo, eadem auctoritate, applices, & appropries: distisque Monasteriis una cum eorum Hospitalibus, & pertinentiis, sic, ut praefertur, constructis, aedificatis, distinctis, dotatis, erectis, & institutis Petrum, & Andream, nec non Renatum, & Philippum, ac Maturinum, & Joannem, necnon Marinum, prout, & Catherinam, ac Franciscam, necnon Claudiam, ac Joannam le Bis, & Mariam le Caron, ac Joannam de Saufay, nec non Carolottam, ac Mariam Bouvier exponentes praefatos, & si quos alios, vel alias tempore primae hujusce erectionis sese obtulerint, ad habitum, ut supra, specificatum portandum pro hac prima vice dumtaxat admittas, illosque & illas in Domino induas, ac sic vestitos, & vestitas in Monasteria, sic, ut praefertur, erecta, & instituta viros, quidem in unum, ad Hospitaliorum: Moniales vero in alterum ad Hospitaliarum usum respective constructa, introducas, & pro Hospitalitate exercenda Ancillas, & Famulas honeste vitae, & fama, quae dictarum Monialium Superiori subiant, & nullatenus earum Clausuram ingrediantur, eisdem monialibus concedas: & anno probationis elapso, illos, & illas, ac illorum, & illarum quamlibet, & quemlibet, ad professionem juxta Formulam, & vivendi modum supra praescriptos, emittendam pro prima vice dumtaxat similiter admittas, illumque, & illam, quem, & quam magis idoneos repereris, in eorumdem Monasteriorum Superiores constituas, omnesque, & singulos Exponentes praedictos, ac alios, quos per te ad habitum, & professionem hujusmodi admitti contigerit, ut Institutum praedictum juxta eorum professionem servant, divinisque laudibus, & Officiis in Choro instant, nec non sub perpetua obedientia nostra, ac pro tempore existentium Romanorum Pontificum, nec non Ministri Generalis, & aliorum suorum superiorum ex dicta Congregatione, ut supra, eligendorum directione, & correctione, nec non pro tempore existentis Ordinarii loci quoad curam Inferiorum, & Hospitalitatis visitationem vivant, ac Hospitalitatem, & curam peste laborantium, Religiosi videlicet erga masculos, in virorum: Moniales vero erga sui sexus Peregrinas in mulierum Hospitalibus, ut supra, distinctis, & separatis, perpetuam tamen clausuram semper servando, exerceant, injungas, ac pro Monasteriorum, & Hospitalium hujusmodi prospero, & felici regimine, & administratione, dictae Congregationis ampliatione, & propagatione, Superioribus, & Religiosis illorum quaecumque statuta, Ordinationes, & Capitula, etiam virorum, & monialium receptionem, aetatem, qua-

litas, directiones, & alia necessaria, ac Hospitalium illorum, & Monasteriorum praedictorum, bonorum, & reddituum, administrationem concernentia, licita tamen, & honesta, ac Sacris Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis, distisque Concilii Tridentini decretis, & praemissis hujusce Instituti Regulis, aut formulis minime contraria, per Nos tamen, & Sedem Apostolicam, sive locorum Ordinarios pro tempore existentes de nostra, & dictae Sedis auctoritate examinanda, & approbanda, ac per ipsos Hospitalarios, & Hospitalarios firmiter, & inviolabiliter observanda, & adimplenda faciendi, condendi, ac quoties pro rerum, & temporum qualitate, vel aliis ipsis expediens videbitur, immutandi, corrigendi, emendandi, ac in melius reformandi, aliaque ex integro praevii examine, & approbatione praedictis, condendi, nec non quaecumque loca, seu Domus ad habitandum donata, seu acquisita, vel ab illis quomodolibet habita in Ecclesiis, & Domo Regularis, seu Conventus, & Monasteria, seu Hospitalia, & Oratoria Ordinis, & Congregationis hujusmodi, dummodo tamen pro quorumcumque Monasteriorum praedictorum dote, ac Religiosorum, seu Monialium in illa introducendorum, & introducendarum maintenance, eorumque onerum supportatione quadringenta scuta, ut supra, annuatim assignentur, absque nova dictae Sedis desuper obtinenda facultate, & approbatione, erigendis, seu erigi procurandi, dummodo in novorum Monasteriorum, & Hospitalium Virorum hujusmodi erectionibus Ordinariorum locorum accedat assensus, duodecim saltem Religiosorum numerus in quolibet illorum manuteneatur, serveturque in reliquis forma decreti fe. re. Clementis Papae VIII. praedecessoris nostri jam pridem, & Cardinalium praedictorum auctoritate super novorum Conventuum erectione novissime editi. In Monialium vero Monasteriis, ut praefertur, erigendis certus Monialium numerus, qui ex eorumdem redditibus commode valeat sustentari, Ordinariorum locorum, in quibus pro tempore erigentur arbitrio, praefigatur. Puella Monasteria hujusmodi ingressura qualitatibus necessariis sint praedita, ac unaquaeque earum certam dotalem elemosynam Ordinarii arbitrio similiter taxandam, Monasterio realiter, & cum effectu pendat quae autem supra numerum hujusmodi, ut supra, praefigendum ingredi voluerint, duplicatam dotem persolvant, solitamque licentiam a Sede Apostolica impetrare teneantur: ac quoscumque Seculares Clericos, seu laicos quavis dignitate fungentes, qui Deo inspirante, se ad hujusmodi vitae Institutum conformare intenderit, recipiendi, & ad professionem admittendi, & si quid pro Hospitalitatis oneribus supportandis defuerit, elemosynas pro Peregrinorum sustentatione quaeritandi, & insuper habita ratione, quod Institutum hujusmodi charitatem urget, eisdem pro tempore existentibus

Præ-

Praelatis, seu superioribus hujusmodi Congregationis per se, vel alium, seu alios ad id per eos deputandum, vel deputandos, omnes, & singulos ejusdem Congregationis Religiosos, & Moniales, personaque sub eodem Instituto, Regula, disciplina, & religione pro tempore degentes ab omnibus, & singulis eorum peccatis ante, vel post ingressum in dictam Religionem per eos commissis in foro conscientiae tantum absolvendi, ac generaliter Superioribus, & Religiosis ejusdem Congregationis, omnibus quibuscumque privilegiis, exemptionibus, Indulgentiis, facultatibus, libertatibus, auctoritatibus, favoribus, praerogativis, concessionibus, & gratiis quorumvis etiam Cisterciensium, Cluniacensium, ac S. Benedicti Monachis, nec non Clericis Regularibus, ac Presbyteris, & Collegialibus Societatis Jesu, ac Canonicis Congregationis Lateranensis, nec non quibuscumque aliis Clericis regularibus, & aliorum tam mendicantium, quam non mendicantium Ordinum, & Congregationum fratrum, & personis, tam spiritualibus, quam temporalibus in specie, vel in genere, etiam communicative per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac Sedem praedictam quomodolibet concessis, dummodo tamen sint in usu, nec sub ullis revocationibus comprehensa sint, neque Sacris Canonibus, Constitutionibus Apostolicis, aut Concilii Tridentini Decretis, vel ipsius Congregationis Regularibus Institutis adversentur, & quibus illam in vita, quam in mortis articulo etiam circa peccatorum remissiones, aut alias quomodolibet uti, potiri, frui, & gaudere possunt, ac poterunt quomodolibet in futurum, perpetuis futuris temporibus utendi, fruendi, potiendi, & gaudendi, ac de illis omnibus participandi pariformiter, non ad instar tantum, sed aequae principaliter, absque ulla proorsus differentia, perinde acsi pro Religiosis, & Monialibus Hospitalariis hujusmodi, & eorum Congregationi, Domibus, Ecclesiis, Oratoriis nominatim, & specialiter, ac generaliter, aut expresse, concessa fuissent. Ac demum, ut omnium animarum profectui, & saluti juxta pia eorum desideria providere possint, & valeant, in suis Ecclesiis constructis, & construendis, dummodo prius ab Ordinariis locorum fuerint approbati, Mercatorum peregrinorum, ac transeuntium, & aliarum quarumcumque personarum confessiones audiendi, illisque Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, quoties opus fuerit, non tamen in festo Paschatis Resurrectionis Dominicae, & de licentia pro tempore existentis Ordinarii loci, nec alio modo ministrandi, ac ministrari faciendi, licentiam, & facultatem, dicta auctoritate nostra etiam perpetuo concedas, & elargiaris. Nec non Tibi, ac pro tempore existentibus Ordinariis locorum, ubi Monasteria dictae Congregationis erigi, & institui contigerit, pro Monialium in illis pro tempore recipiendarum felici directione, ac in vita, moribus, & regularibus Institutis instructione, duas,

vel plures moniales, quae ad id voluntarie reperte fuerint, earum superiorum consensu requisito, ex suis Monasteriis dicti Ordinis S. Francisci hac prima vice deducendi, & in Monasterium Monialium Hospitaliarum hujusmodi erigendum, ita ut ille eodem se transferre, ac proorsus, vel ad tempus tibi, seu ipsis Ordinariis pro tempore existentibus beneficium permanere possint, & debeant, transferendi, ac dummodo Moniales sic transferenda a Consanguineis gravibus, & honestis Matronis affocientur, ab uno Monasterio ad aliud, & modestè, & quantum occultius fieri poterit Rheda clausa, vel saltem earumdem Monialium oris parte velata, nec non relict tendatur, nec alio divertatur, & nullibi pernoscetur, nisi causa hospitii, idque non nisi apud honestas personas, plenam, liberam, & omnimodam facultatem, & potestatem auctoritate, & tenore praemissis concedimus.

§. 6. Decernentes praesentes nostras literas sub quibuscumque similibus, vel dissimilibus gratiarum revocationibus, limitationibus, suspensionibus, derogationibus, dispositionibus, aliisque contrariis etiam per Nos, & successores Nostros Romanos Pontifices sub quibuscumque verborum expressioibus, ac cum quibusvis clausulis, & decretis in contrarium pro tempore factis, & faciendis nullatenus comprehendendi, sed semper ab illis excipi, & quoties illae emanabunt, toties in pristinam, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data per Religiosos, & Moniales praedictos pro tempore existentes quomodocumque eligenda concessa esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ipsosque Religiosos, & Moniales desuper a quoquam quovis quasi colore, vel ingenio molestari nullatenus posse, nec non quoscumque quomodolibet clausuram dictarum Monialium violare praesumentes, excommunicationis poenam eo ipso incurrisse. Sicque per quoscumque iudices, & Commissarios ordinarios, vel delegatos, etiam quavis auctoritate fungentes, nec non Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Vicelegatos sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiti debere, ac irritum, & inane quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 7. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinum praedictorum etiam Juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis apostolicis, illis, eorumque Superioribus, & personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis in contrarium forsitan quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam de illis, eorum-

Clausula.

Derogatio contrariou n

Transumptis  
danda fides.

rumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa mentio in presentibus facienda foret, illis aliis in suo robore permanentibus hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, caterisque contrariis quibuscumque.

§. 8. Volumus autem, & apostolica auctoritate decernimus, quod eorundem presentium transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem profus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ eisdem presentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 6.  
Decem. 1621.  
Ani.

Datum Romæ apud S Petrum sub Annulo Piscatoris die 6. Decembris 1621. Pont. Nostri Anno Primo.

X L V.

Confirmatio, & innovatio Constitutionum Gregor. XIII. & Gregor. XIV. super prohibitione delationis Habitus Fratrum Cappuccinorum, vel consimilis Habitus per alios Regulares. Nec non commissio Ordinaris Locorum Regnorum, Hispaniæ, Franciæ, aliorumque Regnorum, & Provinciarum Italiæ, ne aliis quibusvis Religiosis quoscumque Ordinis, Societatis, & Institutii Regularibus sub quovis pretextu, imposterum Nomen, vel Habitum ipsorum Fratrum Cappuccinorum sibi vindicare, vel usurpare permittant, sed ipsas editas Constitutiones per ecclesiasticas censuras, & penas observari faciant.

*Horum Fratrum Regula approbationem cum habitus præfinitione vid. in Clem. VII. Constit. XXIV. Religionis. Tom. IV. Par. I. fol. 73.*

GREGORIUS PAPA XV.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Procedimus.

EX iuncto Nobis apostolicæ servitutis officio, ad ea, per quæ Christianissimum quorumlibet, præsertim sub suavi Religionis iugo Altissimo famulantium, quieti, & paci opportune consulitur, libenter intendimus, ac in his Officii nostris partes interponimus, prout conspiciemus in Domino salubriter expedire.

Littere Gregor. XIII. de quibus sit mentio in rubrica.

§. 1. Aliis siquidem a sel. rec. Gregorio XIII., & Gregorio XIV. Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris emanarunt Litteræ tenoris subsequentis, videlicet: Gregorius Papa XIII. Ad perpetuam rei memoriam. Regularium personarum, præsertim exemplarem vitam in humilitatis, & paupertatis spiritu ducentium, quieti, ac indemnitati pro commissio Nobis pastoralis Officii debito consulere cupientes, ad ea removenda, quæ ipsis præiudicium adferre, & scandali materiam præstare dignoscuntur, curam nostram libenter intendimus. Accepimus siquidem, quod licet

alias sel. rec. Paulus Papa III. Prædecessor noster, per suas litteras inter alia districtius inhibuerit quibusvis personis, quoscumque conditionis existerent, sub excommunicationis latæ sententiæ poena eo ipso incurrenda, ne Habitum per Fratres Ordinis Minorum Cappuccinorum nuncupatorum gestari solitum, nisi sub pro tempore existentis Vicarii Generalis eiusdem Ordinis obedientia, & cura permanerent, gestare quoquo modo præsumerent, & pia mem. Pius Papa IV. etiam Prædecessor noster litteras Pauli Prædecessoris huiusmodi, ita quod nullus, quoscumque conditionis existeret, non solum habitum præfatum iuxta litterarum Pauli Prædecessoris huiusmodi tenorem, verum etiam nec ita consimilem, quod propter eum credi Frater eorum Congregationis, nisi sub præfati Vicarii Generalis pro tempore existentis obedientia, & cura permaneret, sub simili poena excommunicationis latæ sententiæ quoquo modo gestare præsumeret; per alias suas litteras confirmaverit, & approbaverit, ac etiam ad id extenderit: nihilominus multi Fratres Tertiarii nuncupati, Ordinis Minorum Conventualium Sancti Francisci nuncupatorum, in Regno Siciliae degentes, Habitum eiusdem panni, & coloris quo ipsi Fratres Cappuccini utuntur, gestare, & salvo, quod Cappuccium rotundum more Fratrum Conventualium huiusmodi, deferunt, in reliquis ita consimiles eisdem Fratribus Cappuccinis incedere præsumunt, ut passim a populo pro Cappuccinis habeantur, & reputentur, ac illis tamquam talibus elemosynæ, & oblationes elargiantur, non sine eorumdem Cappuccinorum, qui ea ratione elemosynis huiusmodi ab aliis suo nomine interceptis frustrati remanent, præiudicio, & incommodo, sed etiam gravi, plebis offensione, & scandalo, dum quos disciplinæ regulari ipsorum Fratrum Cappuccinorum mancipatos credit, eis pecuniarum usum, ac rerum commercium permitti intuetur. Quocirca Nos rationi consonum esse rati, ut qui in observantia vitæ regularis uniformes non sunt, iidem etiam habitus delatione distinguantur, in præmissis ad evitandas confusiones, & contentiones, quæ nisi habitus utrinque distinguatur, oriri possent, providere volentes, ac singulas litteras Prædecessor. huiusmodi, & in eis contenta quæcumque pro expressis habentes, & harum serie approbantes, & confirmantes, atque etiam innovantes, Motu proprio, & ex certa scientia nostra statuimus, & ordinamus, quod ex nunc de cætero perpetuis futuris temporibus huiusmodi Fratres Tertiarii nuncupati dicti Ordinis Fratrum Minorum Conventualium in Regno Siciliae existentes, & sub obedientia, & cura dicti Vicarii Generalis Cappuccinorum pro tempore existentis non permanentes, ad instar aliorum Fratrum eiusdem Ord. Min. Conventualium ibidem degentium, non solum Cappuccium rotundum, ut præfertur, sed etiam habitum eiusdem coloris, cuius est habitus dictorum Fratrum Conventualium, videlicet berretini

tini nuncupati, ut propterea a Cappuccinis Fratribus facile discernantur, deferre debeant, & teneantur, alioquin si secus fecerint, post sex menses ab intimatione presentium, poenas Constitutionum Pauli, & Pii prædictorum incurrant eo ipso. Decernentes, presentes litteras de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quopiam defectu, etiam ex eo quod interesse habentes vocati non fuerint, seu quocumque alio pretextu notari, impugnari, invalidari, retractari, aut in jus, vel controversiam revocari, seu adversus eas quodcumque juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullo umquam tempore posse; Sicque per quoscumque Iudices ordinarios, vel delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiti debere, irritum quoque, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Et nihilominus universis, & singulis dicti Regni locorum Ordinariis, in quorum Diocæsibus Fratres Tertiarii Ordinis Minorum Conventualium huiusmodi pro tempore degent, per presentes committimus, & mandamus, ut per se, vel alium, seu alios presentes litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Cappuccinorum prædictorum, vel aliorum, quorum intererit, fuerint requisiti, solemniter publicantes, faciant auctoritate nostra litteras, & in eis contenta huiusmodi ab omnibus ad quos spectat, & spectabit quomodolibet in futurum, sublato quocumque exemptionis privilegio, inviolabiliter observari; Contradictores quoscumque, & rebelles per prædictas, aliasque sententias, censuras, & penas, aliaque juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, ipsas sententias, censuras, & penas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus præmissis, ac Apostolicis, nec non in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & ordinationibus, nec non statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, etiam sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus, & aliis decretis, etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, in genere, vel in specie, ac aliis quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis, quæ omnia adversus præmissa nullatenus suffragari volumus, contrariis quibuscumque: Aut si Fratribus Tertiariis prædictis, vel quibusvis aliis communiter, vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expresse

fam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem, quod presentium transumptis, etiam impressis, manu publici Notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides ubique in iudicio, & extra adhibeatur, quæ presentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Tusculi sub annulo Piscatoris, die 4. Octobris 1581. Pontificatus Nostri Anno Decimo. Gregorius Papa XIV. Ad perpetuam rei memoriam. Beati Francisci Confessoris Sodalitas. *Omittitur restitum, quia legitur in Constit. XXVI. Tom. V. Par. I. fol. 283.*

Sed cum nonnulli habitum nomenque Cappuccinorum deferrent;

§. 2. Cum itaque, sicut dilectus filius Procurator Generalis eorumdem Fratrum Cappuccinorum totius Ordinis huiusmodi nomine Nobis nuper exponi fecit, nonnulli in Hispaniarum, Galliarum, & aliorum fortasse Regnorum, seu Provinciarum, nec non in aliquibus Italiæ partibus nomen, & habitum eorumdem Fratrum Cappuccinorum sibi vendicent;

Gregorius prærelatus C6 sicut. præcipit observari.

§. 3. Nos præmissis, quantum cum Domino possumus, obviare volentes; supplicationibus eiusdem Procuratoris nomine, Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, De Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium præpositorum consilio, locorum Ordinariis in eisdem Regnis, & Provinciis existentibus per presentes committimus, & mandamus, ne Nomen, vel Habitum præfatorum Fratrum Cappuccinorum ab aliis quibusvis Religiosis, seu quoscumque Ordinis, Societatis, vel instituti Regularibus, sub quovis pretextu imposterum sibi vindicare, aut usurpare permittant, sed Constitutiones Apostolicas dictorum Gregorii XIII., & Gregorii XIV. Prædecessorum huiusmodi per ecclesiasticas censuras, & penas observari faciant.

Contraria tollit.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, caterisque contrariis quibuscumque.

Exemplis fidei vult adhiberi.

§. 5. Volumus autem, quod presentium transumptis etiam impressis, manu publici Notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides ubique in iudicio, & extra adhibeatur, quæ presentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 9. Decembris 1621. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Dat. die 9. Dec. 1621. An. I.

